

gis habet potestatem hoc modo dispensandi in lege, ut supponitur: ergo potest committere inferiori, ut eodem modo dispenset quando illi videbitur expedire. Quid enim obstat quominus id possit. Si autem potest, ergo, quoties absolute et simpliciter committitur dispensatio sine ulla declaratione vel limitatione, intelligitur ut eo modo possit fieri quo commissarius prudenter judicaverit expedire: ergo non limitatur potestas ad relaxationem per puram ablationem, sed extenditur ad mixtam cum aliqua recompensatione: nam hæc sæpe esse potest non solum justa, sed etiam melior, et utilior animæ, ac subinde magis secundum intentionem legislatoris.

7. *Concessa potestate dispensandi intelligitur potestas commutandi.* — Unde optima est etiam illa ratio, qua usi sumus in lib. 6 de Voto, c. 12, potestatem dispensandi esse majorem quam commutandi, et virtute illam includere, et ita, concessa potestate dispensandi, intelligi concessam potestatem commutandi, quod saltem in potestate ordinaria omnes admittunt; ergo ita est in præsentis dicendum. Respondent, licet ita sit in voto, secus esse in lege; nam in voto, quando commutatur, non aufertur obligatio voti, nec aliqua de novo imponitur, sed fit tantum mutatio in materia, et ideo minus fit quam cum per dispensationem aufertur tota obligatio, ideoque major est potestas dispensandi. At vero in præsentis major est potestas commutandi quam potestas pure dispensandi; nam prior est potestas auferendi unam obligationem legis, et imponendi aliam alterius rationis: potestas autem pure dispensandi solum est ad auferendam obligationem. Sed hoc non recte dicitur, quia etiam in voto aufertur per commutationem una obligatio, et ponitur alia; non enim possunt esse una numero, mutata materia et promissione, licet fortasse ibi sint ejusdem speciei, et in commutatione legis mutetur species virtutis, quod parum refert ad intentam differentiam. Et deinde potestas dispensandi non dicitur major respectu plurium effectuum, sed respectu relaxationis obligationis, et sic negari non potest, quin sit major ablatio obligationis simpliciter, illa quæ fit per puram relaxationem, quam quæ fit per recompensationem. Et hoc modo dicimus legislatorem qui committit absolutam dispensationem, a fortiori committere commutationem, et hanc in illa includi, quia respectu legis et legislatoris minor relaxatio est. Denique, sicut in commutatione voti, obligatio quæ relinquitur non inducitur sine

consensu dispensati, et per modum cujusdam pacti, et ideo non excedit potestatem dispensantis; ita, in præsentis, commutatio illa non fit sine consensu dispensati acceptantis unam obligationem loco alterius, et ideo non excedit potestatem dispensantis, sive obligatio acceptata sit ejusdem, sive alterius rationis. Declaratur exemplo patrisfamilias committentis œconomum potestatem remittendi debitoribus, si oportuerit; nam a fortiori censetur dare potestatem componendi, vel commutandi debitum, etiamsi species debiti vel obligationis mutetur, semper enim domini negotium melius agitur. Et licet fines servandi sint, *Melior causa mandantis fieri potest*, ut dicitur in l. *Diligenter*, ff. mandati: ergo similiter in præsentis.

8. *Differentia inter obligationem legis et voti.* — Ex dictis ergo satis responsum est ad fundamentum contrariæ sententiæ; solumque superest neganda sequela quæ in prima confirmatione fit, nimirum, posse Episcopum sine causa mutare obligationem legis, et aliud opus loco illius imponere, sicut in votis fieri potest. Negatur ergo sequela, et imprimis si sermo sit de opere minori vel etiam æquali, etiam in votis id non est verum, ut in l. 6 de Voto, cap. 19, probavi. Si vero sit sermo de opere evidenter meliori, sic est diversa ratio in voto et in lege. Nam votum etiam propria auctoritate voventis potest commutari in opus evidenter melius, ut ibidem cap. 18 probavi, quod de lege dici non potest. Et ratio differentiæ est, quia voti obligatio oritur ex voluntaria promissione facta Deo, qui semper intelligitur acceptare in solutione quidquid melius est: at vero legis obligatio est necessaria, ut ab alio imposita, et ideo præcise est ad solvendum in tali specie. Nec inferiori committitur potestas mutandi hanc obligationem quomodocumque, sed per modum relaxationis, quando fuerit necessaria, vel maxime conveniens; et ideo, quando nulla est necessitas, nulla est etiam potestas mutandi obligationem, etiam in opus melius. Neque est ulla ratio præsumendi hoc esse magis gratum legislatori, quia, licet opus fortasse sit melius, magis per se loquendo expedit communi bono, ut lex, quæ communis est regula, immutabiliter et uniformiter observetur. Unde fortasse neque ipse legislator potest prudenter talem commutationem facere sine justa causa, erit tamen sufficiens si intelligat fore utiliore subdito, præsertim ad bonum animæ, et sine ulla offensione aliorum posse observari.

9. *Dicta resolutio temperanda.* — Ultimo ta-

men temperanda est dicta resolutio, ut locum habeat in legibus per quas subditi obligantur ad aliqua onera a quibus per dispensationem eximuntur: non vero in illis legibus quæ non feruntur per se ad imponenda onera subditis, sed propter alios justos fines pertinentes ad commune bonum, propter servandum debitum ordinem, vel vitanda aliqua incommoda. In prioribus enim legibus optime cadit dispensatio mixta commutationi, quia onus cum onere servat proportionem ad compensationem faciendam, ut si lex imponat talem poenam, et subsit causa non imponendi illam in specie, vel tollendi illam jam incursum, justissima esse poterit commutatio, et in hoc casu canones sæpe docent esse faciendam vel præmittendam, ut sumitur ex c. *At si clerici*, § *De adulteriis*, et ex Tridentino, sess. 24, cap. 6, cum similibus, et interdum poterit justæ dispensationi misceri pecuniaria compensatio. Sic ergo in legibus quæ præcipiunt aliqua onera virtutis vel religionis, poterit justæ dispensatio fieri cum commutatione in aliud opus facilius, et cui non obstet causa dispensationis, et sic procedunt omnia dicta. At vero sunt aliquæ leges quæ per se non imponuntur propter opus exhibendum a subdito, sed præcise propter utilitatem ad aliquem finem particularem; et in his non videtur, per se loquendo, justæ recompensatio, nisi fiat in aliquid quod ad finem per legem intentum conferat.

10. *In quo casu sententia Soti sit probabilis.* — Talis mihi videtur lex præcipientis denuntiationem publicæ fieri ante matrimonium; ille enim actus non postulatur propter se, sed propter vitanda pericula; et ideo, si causa subest justa ad dispensandum ut matrimonium fiat omissis denuntiationibus, impertinens est commutatio per impositionem mulctæ pecuniariæ, etiam in opus pietatis, quia hoc nihil deservit ad finem talis legis, et ideo in illo casu probabilissima mihi videtur opinio Soti et Sancii, quod tunc injusta sit talis impositio. Secus vero esset si, loco denuntiationum imponeretur onus abstinendi a copula post matrimonium factum, donec denuntiatio vel alia æquivalens diligentia fiat, etiamsi oporteat aliquibus expensis fieri: nam tunc justissima esset compensatio. Simile exemplum est in dispensatione circa interstitia ordinum: nam propter illam imponere pecuniarium onus, etiam sub specie eleemosynæ vel religionis, plane videtur omnino improprium, atque adeo injustum, quia nihil deservit intentioni talis legis, nec subest rationabilis titulus illud impo-

nendi: secus vero esset si ob talem dispensationem imponeretur onus serviendi aliquo tempore in priori ordine, qui est onus proportionatum legi, et non iniquum. Idem dico de licentia et quasi dispensatione concedendi dimissorias ad ordinem suscipiendum ab alio Episcopo; nam pro illa imponere onus pecuniarium pro fabrica Ecclesiæ esset profecto absurdum, et non parum redolens simoniam. Et de his legibus, et in hoc sensu censeo locutos esse Sotum, Navarr., Tabien. et alios, ut etiam in dicto capite 20 significavi. Si quis tamen recte advertat, hæc omnia æque procedunt in Episcopis respectu suarum legum et aliorum sacrorum canonum, quia ratio injustitiæ vel speciei simoniæ eadem est, et ideo in illis nullam inter hæc differentiam constituo. Pontifex vero interdum potest hæc onera imponere, non tantum per modum commutationis, sed etiam per modum oneris vel tributi, propter alias superiores rationes, et propter supremam potestatem illi peculiarem, ut eodem capite dixi, et ideo non sunt hæc, quæ specialia sunt, ad inferiores extendenda.

CAPUT XVII.

DE POTESTATE DELEGATA AD DISPENSANDUM IN LEGIBUS HUMANIS.

1. Ex dictis in duobus præcedentibus capitibus, duo ut clara supponimus. Unum est, potestatem dispensandi in legibus humanis posse per delegationem committi, quia dispensatio ex genere suo est actus jurisdictionis satis communis, et frequenter necessarius, et nihil habet speciale quod illius delegationem impediat. Unde in votis etiam delegatur; ergo a fortiori in legibus. Alterum est, hanc delegationem non fieri per legem, sed per hominem, quia commissio jurisdictionis per legem facta non est propria delegatio, sed transit in institutionem ordinariæ jurisdictionis, quia perpetua de se est, sicut et lex est perpetua; ergo delegatio hujus potestatis semper est ab homine. Unde fit ex parte delegantis supponendam esse potestatem ordinariam; nam ab illa per se loquendo procedit delegatio, l. *More*, ff. de Jurisdic. omn. judic. Sub ordinaria autem comprehendimus æquivalentem ordinariæ, ut solet esse commissio universalis causarum, juxta l. 1, § *Ab eo*, ff. Quis et a quo; comprehenditur etiam potestas delegati habentis specialitatem in subdelegando, ut est in delegato Papæ seu principis, juxta cap. ultim. de Offic. deleg., vel habentis specialem extensionem

sue delegationis ad subdelegandum, juxta sententiam communiter receptam, et l. *Non distinguemus*, § ultim., ff. de Recept. arb. Præter potestatem autem necessaria est voluntas ejusdem superioris, ut delegatio in actu fiat, quæ voluntas signo aliquo externo manifestari debet, ut constat, et ordinarie fit per rescriptum principis. Quod moraliter necessarium est in ordine ad forum externum, ut possit de delegatione et de qualitate ejus constare, de quo videri potest Panormit. in cap. 2 de Schismat., n. 2; et Gloss. 1, in cap. *Si quis*, 81 d. Simpliciter autem et in foro conscientie non est necessaria scriptura, quia nullo jure præscribitur; et secluso speciali jure, quidquid fit per scriptum potest fieri verbo, sicut infra tractando de Privilegio latius dicemus.

2. Hinc ergo præcipuum dubium, circa hanc potestatem delegatam ad dispensandum, est, an scriptum seu verba per quæ illa conceditur sint stricti juris, vel favorabilis: et ratio dubitandi est, quia hæc potestas duplici titulo odiosa est, et ideo restringenda. Primo, ratione generis, quia delegata est: nam eo ipso derogat ordinariæ; ergo consequenter est odiosa, juxta Gloss. in cap. 4 de Rescript., in 6, verb. *Processus*, et in cap. *Solet*, de Sententia excomm., in 6, verb. *Per superiorem*, quæ dicit potestatem delegatam esse stricti juris. Quam sequitur Gemini. in cap. *Præsentium*, de Testibus, et Angel., Sylv. et plures Summistæ, verb. *Delegatus*. Secundo, ratione differentie seu speciei, quia dispensatio est stricti juris, ut diximus; ergo et potestas data ad dispensandum, quia talis est potestas qualis est actus, cum ab illa speciem sumat, et quia si actus est odiosus, non potest potestas non esse odiosa, quia virtute continet actum, et quia, ampliata potentia, necesse est actum ampliari, quia ad plura vel plures actus extendetur. Et ita sentit Anton. de Rosel., tract. de Legitimat., lib. 2 de Causa materiali, n. 10. In contrarium vero est, quia potestas delegata ad dispensandum non est juri contraria, et est beneficium principis; ergo est favorabilis; ergo non est stricti juris, sed extendenda.

3. *Duplex distinctio notanda.*—In hoc puncto eadem fere doctrina quæ in dispensatione votorum data est lib. 6 de Voto, cap. 16, in dispensatione legum locum habet, et infra de privilegiis fere in simili ex professo tractanda est, et ideo brevissime est hoc loco expedienda. Duplex ergo distinctio præmittenda est circa hujusmodi delegationem, et varios modos quibus fieri potest. Una est, quia interdum

immediate datur directa jurisdictio ipsi delegato; aliquando vero datur facultas ei qui dispensandus est, ut eligat personam a qua possit dispensari, ut in delegatione jurisdictionis pro sacramento confessionis et dispensatione votorum diximus; eadem enim est ratio in præsentis, ut per se constat, et frequens usus confirmat. Nam hoc modo conceduntur quotidie dispensationes irregularitatum, impedimentorum matrimonii, et similes. Non enim ordinarie Papa ipse dispensat, sed dispensationem committit, et quando tantum conceditur in foro conscientie, solet ordinarie indifferenter committi personæ hujus vel illius qualitatis quam dispensandus elegerit. Unde inter hæc duo genera delegationum hæc est differentia, quod illa quæ fit ex parte supplicantis, dando illi facultatem eligendi, est favor illius, non personæ delegatæ. At vero quando commissio fit immediate ipsi delegato, non semper est favor dispensati, sed distinctione opus est.

4. *Secunda distinctio notanda.*—Unde est secunda distinctio. Nam hæc delegatio aliquando fit ad dispensandum in hac vel illa lege cum determinata persona; interdum vero absolute delegatur facultas dispensandi in tali lege, nulla nominata persona cum qua possit dispensari, sed indifferenter; et prior modus regulariter fit ad petitionem partis; posterior vero minime, sed vel ad petitionem commissarii, vel motu proprio delegantis. Et ideo quando priori modo conceditur delegatio, non censetur favor delegati, sed ejus propter quem delegatio fit et cui concedenda est dispensatio; tum quia ad petitionem ejus censetur concedi, tum quia ad illum dirigitur principalis intentio, quæ in his rescriptis imprimis consideranda est, juxta supra dicta de interpretatione legum, et infra dicenda de interpretatione privilegiorum. At vero delegatio facta posteriori modo censetur favor ejus cui fit delegatio, ut religiosis conceduntur similes facultates in eorum favorem. Hoc autem limitandum est, nisi ex indulto constet intentionem delegantis dirigi principaliter ad favorem eorum qui dispensandi sunt: nam tunc illorum principaliter censetur esse gratia, etiamsi in particulari non determinentur, ut patet in bullis Cruciatæ, et in Jubileis similes gratias continentibus.

5. *Facultas alicui supplicanti concessa ut eligat personam quæ secum dispenset odiosa est.*—Dicendum ergo est primo delegationem dispensationis quæ fit media facultate data alicui supplicanti ad eligendam personam quæ secum dispenset, esse odiosam, ac subinde stricte in-

terpretandam. Hanc assertionem posui in dicto l. 6 de Voto, cap. 16, et eam a fortiori tenent auctores omnes citandi in assertionem sequenti. Ratio assertionis est, quia illa facultas, quantum est ex parte Pontificis seu principis, est concessio dispensationis; sed dispensatio est stricti juris et odiosa, ut supra ostensum est et de Privilegiis dicitur; ergo. Dices: revera illa facultas non est dispensatio, hæc enim postea concedenda est a commissario postquam electus fuerit, et ideo actus antea factus non erit licitus aut validus si ejus valor ex dispensatione pendeat, ut si dispensatio sit futura in impedimento irritante; ergo non est cur restringatur illa facultas seu mandatum sicut dispensatio. Antecedens certum est, ut recte admonet Nav. in Summ., c. 12, n. 79, § *Duodecimo*, et additio ad Rotam, tr. de Fil. Presb., decis. 2, in novis, et latius Covar., in 4, 2 p., cap. 6, § 9, in fin., ubi refert Præpositum contrarium sentientem in cap. *Qui circa*, de Consang., n. 20. Respondeo concedendo assumptum, quod adeo est certum, ut Navarrus supra dixerit solum aliquos simplices in eo esse errore. Præpositus autem solum dixit, mandatum illud habere vim dispensationis, utique quantum est ex parte Pontificis. Unde videtur dici posse quasi conditionata dispensatio, quæ suspensa quidem est, et non habet effectum, donec conditio impleatur, ac subinde donec commissarius dispenset, quia illa fuit conditio in mandato posita. Et quidquid sit de sensu Præpositi et de modo loquendi, in re verum est quod illa concessio Pontificis est quasi dispensatio in fieri, jam enim ab illo procedit tanquam approbata in se, et in causa proposita, si tamen causa vera est, quod alteri examinandum committit. Et juxta hoc respondetur ad objectionem negando consequentiam, quia, licet illa non sit consummata dispensatio et formalis, est inchoata, et virtualis, ut sic dicam, ideoque æque odiosa censetur ac propria dispensatio.

6. *Dispensatio concessa ad postulationem supplicantis, moraliter loquendo, non datur per modum liberæ facultatis, sed necessarii mandati.*—Sed instabis: nam, licet hoc sit valde apparens et probabile in commissione quæ fit per mandatum, non tamen in illa quæ tantum per modum facultatis datur. Nam in priori procedunt omnia dicta, et ideo illa dici solet dispensatio necessaria, quia ita est a Pontifice concessa sub illa conditione, *Si preces veritate nitantur*, ut post exploratam et inventam veritatem non possit dispensatio negari, et ideo non immerito de tali modo concessionis et

mandati, perinde ac de dispensatione judicatur quoad restrictionem vel odium. At vero in posteriori fit commissio libera, ita ut simpliciter relinquatur dispensatio in arbitrio commissarii, propter quod talis dispensatio voluntaria appellari solet. Illa ergo non est cur æquiparetur dispensationi, quia nec absoluta dispensatio est, nec conditionata, nec ex necessitate dispensationem infert, etiam verificata narratione; non est ergo cur æquiparetur dispensationi, sed tanquam sola potestas dispensandi judicanda est, juxta communem doctrinam distinguentem in hoc inter dispensationem et potestatem dispensandi. Respondeo, argumentum convincere, non esse tam certam assertionem in hoc secundo membro sicut in priori. Dico tamen imprimis, moraliter ac regulariter loquendo, dispensationem concessam ad postulationem supplicantis nunquam dari per modum liberæ facultatis respectu commissarii, sed per modum necessarii mandati, sive commissio fiat determinatæ personæ sub proprio nomine, sive nomine alicujus dignitatis vel officii; sive optio personæ ipsi supplicanti conceditur, ut ex usu constat; et ita eodem modo procedit conclusio, et moraliter verificatur juxta prius membrum declaratum. Si autem contingat secundo modo fieri concessionem ad petitionem supplicantis, etiam censeo assertionem in illa esse veram; ratio vero ejus aliter urgenda est juxta dicenda in puncto sequenti.

7. *Facultas data ad dispensandum pro persona certa vel personis non est favorabilis, sed stricti juris.*—Limitari assertionem ut procedat quando facultas concessa est in favorem personæ dispensandæ, non vero dispensantis, juxta quosdam. —Dico ergo secundo: quoties conceditur facultas ad dispensandum cum aliquo in particulari, sive fiat delegatio ad petitionem partis, sive ad petitionem delegati, et sive fiat determinatæ personæ, sive electio personæ committatur dispensando, stricti juris est concessio, seu delegatio, aut dispensatio. Hæc videtur esse communis sententia doctorum in c. *At si clerici*, § *De adulteriis*, de Judic., et in c. ult. de Simon., aiunt enim potestatem dispensandi cum certis personis expressis esse stricte interpretandam. Idem Angel., verb. *Dispensatio*, n. 9; Sylvest., q. 5, n. 9; et idem sensit Gambarà, de Auctorit. legati, lib. 10, n. 200; Franc., in c. *Is qui*, de Filiis Presbyt., in 6, dicens, quando potestas dispensandi derivatur in aliquem, utique in particulari, non esse late interpretandam. Quod etiam sequitur